

pu'd citatos autores. Delrii, probationem lubet hic ap-  
ponere brevibus. Sensus ejus huc redit. *Posse Demones  
Defunctorum corpora resumere, vel de novo ex aëre & aliis Ele-  
mentis ac Mixtis ad carnis similitudinem palpabilia effingere ac  
formare, posse etiam assumpta corpora pro lubitu movere, ac  
calescere, & proinde etiam sexum, quem naturâ non habet,  
artificiose exhibere, & viris specie fœminina, feminis specie vi-  
rili abuti, & has subjicere, & illis se substernere.*

§. 4. His verbis duo adjungimus exempla, unum  
de succuba, alterum de Incubo, quæ ex Cardano l. 16,  
de variet. Rerum cap. 93. Boethius l. 8. Histor. Scho-  
tiæ recenset. Verba Boethii à Cardano citata in com-  
pendium referemus. De incubo dicit: *Accepi ab iis qui  
rem perspexerunt; In Marrhaa regione virgo fuit inventa  
pregnans, de stupratore à Parentibus interrogata respondit, no-  
ctæ dieq; formosissimum secum cubare Adolescentem, quem, unde  
veniret, nesciret. Illi quamvis parum adhiberent responso  
fidei, tertio tamen die post indice ancilla Adolescentem rediisse,  
tædis ac facibus referatis foribus ingrediuntur, horrendumq;  
monstrum in complexibus filiae conspiciuntur. Accurrunt vici-  
ni ad spectaculum, atq; inter illos Sacerdos, qui cum Evangeli-  
um Johannis recitaret, eoq; perveniret: & verbum caro factum  
est, Demon incensâ suppellestile, stridore emisso horribili abiit,  
Femina postridiè peperit monstrum.*

§. 5. De Succubâ pergit: *Haud multis annis, post-  
quam hac facta fuerunt, in Gareotlia regione vico quatuordecim  
vix passuum millibus ab Aberdonia, Adolescens coram Antisti-  
te ejus loci questus est, palam se à Demone succubâ multos ante-  
menses infestatum, nulloque se posse modo, cum plures atten-  
tasset, à tantâ ac tam turpi vesaniâ liberari. Jussit Episcopus  
ille Adolescentem jejuniis & orationibus accommodare animum,  
quo facto victus Diabolus fugam dedit.* Hæc pro Affirmativa  
Delrius.

§. 6.